

*Lug. Oct. 1.
In nos vestris.
In Tai (1)*

*o/mate add. (10/
omnium, patro Giovanni. B.*

*Lug. Oct. 2.
Contar.*

ffinissimij Lyp. Oct. A.

*ffiorare priorem
flos*

af. 8.

Hipā

i/defentibus

« Scitis res gestas per antecessores vestros a primordio civitatis ^{no} huc usque, et per vos modernis temporibus opera consummata, ubique sunt manifesta. Nunquam enim adulterastis sanguinem de libera nati, nec privilegium amisistis legittimorum, eo vestris temporibus abutendo. Nunc autem finis appropinquatur honorum, nunc quietem habetis in manibus descendantium, nec vertetur in otium labor, et erunt expense omnibus in augmentum, et si respexeritis pro quibus contenditis rationes, et adversantium intollerabilem iniustitiam, vindicabitur Deus qui offenditur ab inquis, et vestris petitionibus deferet, triumphali vos diademate coronando. Rogamus igitur vos et monemus, quatenus ad tam magnum diem omnes debeat ascere, considerantes vestri nominis famam, et matrem a qua sumpsistis originem, excellentiam, et obtinere credentes, otium non queratis; quoniam honor (sic) non acquirit quiescendo. Ecce vestra benedicta domus, carrocum presens, omnium pater et dominus: hoc colite, hoc amate, huius estote memores, huic honorem reddite! Ecce vestrum sine langore caput, quo incolumē permanente, non vitiabuntur virtutes per laborem, nec deficient spiritus vincere appetentes ».

*Lug. 4.
d. m.*

His igitur in contione propositis, quasi spiritus novus supervenit in quemque et contionantem quisque commendans, omnia verba eius conservavit in corde; quisque conferens de victoria. Et cum appropinquaret mensis quo incipiunt spandere frondes rose, florentini arripuerunt iter, victorioso preeunte carrocio, et comitatum manu forti intravere senensem, militibus pisani, marturiensibus et aliis, inter omnes tribus milibus, stantibus ex adverso: et procedentes, destruxerunt castrum Monteliscarium dictum, percussionses non expectans, non longe plus duobus miliariis a Senis; aspicientibus destructionem toto populo et omnibus militibus antedictis, et mulieribus usualia mercimoniorum suorum militibus afferentibus. Anno millesimo ducentesimo vigesimo nono.

Noluerunt enim in vastu vel aliis eo anno procedere florentini; et credentes de comisisse penitere senenses, potius volebant quiescere valde fessi et armorum vitare solatium, quiescentibus adversariis, quam aggredi graviora. Senenses vero contrarium penitus sentientes, eodem anno ceperunt castrum Tornanum dictum, ipsum viriliter expugnando. Et cum detinerent turrim haedificatam in eodem, ecce florentini venientes recuperaverunt ipsam, et reparantes casserum iam destructum, illud custodibus munierunt, per dies octo stantes ibidem.

Anno sequenti cum esset omnibus manifestum, guerram adhuc suos extendere palmites, et esse peiorem priore diceretur errorem, a dominante tunc exivit edictum, ut civitas et comitatus totus tam in Romania quam in Tuscia de omnibus pararetur. Nichilominus etiam legati sunt constituti pro invitandis amicis ad idem et aliis per Tusciam, Marchiam et Ducatum et Lombardie partes et Romanie rogandis de suffragio prestando, vel si hoc apte fieri non posset, quod non proponerent adversari. Hoc auditio, quod si contingere infortunium, esset penitus incivile rogare pro talibus et excusatio iusta precibus non parendi. Quibus actis, guerriatrix campana sonuit, que tinniens premonet omnes ad guerram, et inducit ipsam plerumque sua virtute quietem. Tempore autem quo incipiunt herbe flores emittere, vexillifer civitatis, carrocum silicet, in publicum est reductum, ut moris est, comitibus proceribus et nobilibus defendantibus lanceam, et potestate taliter contionante (1).

(1) Era allora potestà Otto da Mandella di Milano.